136 **21**

DEO OPTIMO MAX.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ menſis Januarii, anno Domini M. DCC. LVII.

M. A. D. DIENERT, Doctore Medico, Præſide, & Theſeos Authore.



An quantum ſanguinis, tantum lymphæ momentum?

I.



U Æ antiquis erat ſanguinis & lymphæ notitia, admodùm obſcura. De majori luce gloriatur ætas noſtra; ſed non omnes rectè judicant quanta ſit illorum differentia, quanta interim æqualitas præſtantiæ variis nominibus conſpicuæ. Sanguis liquor purpureus eſt qui à corde per arterias pellitur, ad idem per venas reverſurus. Per lympham ſignificatur aqua gelatinoſa quæ in perlucidis quibuſdam vaſis manat. Inter hæc vaſa, quæ venis ſimilia ſunt, venæ lymphaticæ Bartholinianæ appellantur. Illæ ſæculo proximè elapſo à Bartholino demonſtratæ fuerunt, & ipſi haud ſecùs ac circulatio ſanguinis Harveio gloriam dedêre immortalem.

Animadvertendus hoc loco venit alius in univerſum liquor ſanguini & lymphæ analogus, ſed perlucidus, quem idcircò lymphaticum vocabimus. Tria hæc diſtinguenda; 1°. pars ſanguinis mucoſa ſeu, ut aiunt, fibroſa, 2°. lympha propriè dicta. 3°. Liquores lymphatici, id eſt lymphæ plus minùſve participes. Prima in vaſis ſanguiferis rubro colore infecta circulatur, ſanguinis præcipua materies. Secunda in vaſis lymphaticis ducitur; ſed cum ipſis non niſi dimidium circulum agit, & nomen ſuum amittit, ut primùm in ſanguinis alveum ingreditur. Tertium genus eſt à ſphærâ circulationis propemodùm exul, & itinere breviſſimo potitur ferè ubique, nempè in tubulis ſecernentibus & excernentibus, ut ſe habet ſaliva. De illâ quæ primum inter & tertium genus media eſt, hîc potiſſimùm agemus, cum ſanguine comparatâ.

Nemo ignorat quanti ponderis ſit latex ruber ſine quo pulſatio cordis nulla, nec vitæ robur, nec aliæ functiones conſervarentur. Earum interim gloriam ſibi vindicare totam non debet. Caloris acceſſio, cor & auxiliares ejuſdem copiæ partem laudis decerpunt. Chylus, bilis, ſuccus gaſtricus, pancreaticus humor, is qui in inteſtina ex ipſis depluit & alii aliquid etiam præripiunt; ſed magnam partem concedendam lymphæ, nihil detrahendo de ſanguinis gloriâ, probare aggrediemur.

II.

LONGA eſt oratio, multæque rationes quibus diſcrimen ingens ſtatui inter utrumque poſſit. Ab hoc præloquio exordiar maximè, quod & theſi aptiſſimum & neceſſarium ad intelligendum quid ſit id de quo diſputetur.

1°. Vaſa unde ſanguis exit craſſa & grandia ſunt: è contrà vaſorum lymphaticorum ſcaturigines exiliſſimæ. Nam arteriolæ lymphæ ordiuntur, ubi deſinunt ultima arteriarum ſanguiferarum capillamenta, adeò ut cum harum apicibus baſes illarum oſculando ſe æquent. Arterias lymphaticas multi ſuppoſuerunt. Nihil enim ferè eſt inventum quod alii antea non cogitatione finxerint aut non ſubodorati fuerint aut non leviter perſtrinxerint. Sed harum in oculo demonſtrationis incipiendæ fama temporibus noſtris reſervata fuerat. *Act. Acad.* 1741. & tales ubique non ſine ratione dicuntur jacere inter arteriarum ſanguiferarum extrema & radices venarum lymphaticarum. Hæ venæ diaphanæ arteriis ejuſdem generis longè ampliores ſunt & oculis non armatis videntur. Tanta inæqualitas inter ſanguiferos canales non invenitur.

2°. Sanguis à corde ad corporis ambitum, lympha ab ambitu ad cor fertur.

3°. Venæ lymphaticæ aliæ aliis conjunctæ à ſingulis corporis partibus, ad lacteas meſenterii venas, inde ad cyſternam lumbarem & per canalem thoracicum ad venam

ſubclaviam cum chylo denique adventant. Lympha ibi ſanguini admixta in cordis cavum labitur. Ut aquæ fluviorum eunt ad mare, hoc verò in ipſorum alveos non attollitur, ſic ſanguis accipit lympham, hæc autem jure dum ſuperbit ſuo, hoſpitem illum nunquam admittit.

4°. Venæ lymphaticæ conglobatis paſſim diſtinguuntur glandulis; at rubri canales non ita interſecti, cum ſanguinis velocitati obex nullus, nec artificium longiori moræ afferendæ idoneum eſſe debeat.

5°. Sanguis celeriùs fluit quàm lympha quæ lentè progreditur.

6°. Prior præter aquam plurimùm gelatinæ, moleculas rubras globuloſaſque & mille liquores confuſos, imò lymphæ ipſius ſtamina complectitur. Hæc autem minùs compoſita eſt: liquores diverſos ſibi ſocios non adjungit, niſi perlucidos aut albos.

7°. Materia in ſanguine deliteſcit quæ celeriter alere valet inflammationem, ſuppurationem & corruptelam ſphaceli nomine donatam. Tanta incommoda non adeò reformidanda ſunt à lymphâ. Cum enim mitiorem & tranquilliorem habeat indolem, non tam facilè putreſit, tardiùs etiam in pus abit, neque unquam vi ſuâ inflammatur, quantoſcumque dolores excitet.

8°. Gravioribus & acutis morbis ſanguis plerumque obnoxius periculoſas curationes & ancipites adhibere cogit, in quibus ægri aut pereunt brevì aut brevì exſuſcitantur, & citò fit in priore caſu ut magna fit admiratio medicatricis naturæ, in poſteriore mors increpetur ſola. Hoc ſyſtemate fulcita erat Hippocratis magni praxis, atque olim apud Ægyptios ea lex quâ Medicus vel ſapientiſſimus qui ægro ante quintum morbi diem opem ferebat, mortis accidentis architectus miſerrimè reputabatur. *Diction. univerſ. de Medic. Diſc. hiſt. p. iij.* Quod ad lymphaticos affectus pertinet, longè aliter ſe habent in multis & ægrotantis ſors & curationis ratio. Lympha ſæpè ſæpiùs ad longum tempus craſſa fit, glutinoſa, denſa: quin ea dureſcere poteſt aut tabeſcere: lentâ virus tabe aut chronicis morbis pertinaciùs ſtat infecta, unde rebelliores obſtructiones, glandulæ induratæ, ſcrophulæ & alia pejorum morborum genera. Qui iſtâ peccante ægroti fiunt, plerumque leviùs ægrotant & non niſi diuturnâ Medicinæ exercitatione ſanantur. Sed heu! Mille affectiones chronicæ Empyricis, quos audaces fortuna non rarò juvat, relinquuntur.

9°. Diſſimiles primigenorum liquorum indoles deſignantur à diverſitate remediorum quæ vitioſo lentori medentur, cum alia ſanguini, alia lymphæ congruant. Hydrargyrus enim qui huic aptiſſimus, illi plerumque nocivus aut inutilis eſt *. Hos effectus longinqui temporis uſu & periclitatione Medici recentiores percepere. Id itaque culpæ dandum puto quibuſdam Authoribus, quod mercurii præparationes à medicamentis ſanguinem ſpecialiter incidentibus ſeu antiſcorbuticis neque ſeparaverint, neque diſtinxerint. * *

* Kramer. Med. Caſt. p. 3. C. 2. Frederic. Hoff. Medic. rat. Syſt. t. 4 p. 5. Traité du Scorbut traduit de ... M. Lind D. M. tom. 1. note n. p. 66. p. 206. 223. 336. tom. 2. p. 176. 181. 436. 439. ex Vanſwieten.

* * Aphoriſ. Boerhaar. Chim. de Lemeri.

I I I.

Ex variis lymphæ beneficiis nullum ampliùs effloreſcit quàm cutis candor. Formoſiſſimam v. g. faciem, mulieris nempè duplex imprimis color exornat, cum albus, tum ruber: hic à ſanguine, ille à lymphâ delineatus, ſuſpenſoque ut ità dicam penicillo ſapientiùs quàm in perſonatis fuco fallaciſſimo diſpertitus, nec ſine magnâ ſanitatis exhilarantis ſignificatione. Ubi verò ſanguis in vultu plethorâ quâvis redundat, rubor effuſior eſt. Niveum denique colorem cutis præſefert, quoties lympha luxuriatur aut nimiùm ſcaturit, niſi, ut in Nigritis, laticis utriuſque dotes, tincturâ reticularis textûs, radiis luminis ſuffocandis opportunâ inter epidermidem & cutem velut larvâ occultentur. Ad nobiliores uſus lymphæ ſcrutandos, adytum humanum, ſeu primam concepti homuncionis habitationem penetremus; ibi è lymphâ ſanguis, ut è ſanguine lympha renaſcitur: ambo fluidorum omnium fontes uberrimi. Totus enim è ſucco lymphatico fœtus oriundus in utero maternâ conformatur, cùm ſanguis nullus, ſed lympha ſola à Matre ad placentam ducatur: aſſertionis hujus Anatomicas probationes videre eſt in *Ruisk. t° 2 C. Falconet Theſ.* 1711. Quem ſanguinem volvit fœtus, propriis illum viribus ex lymphâ generat; quæ quidem ipſi ex omni parte offertur. Liquore enim amnios qui lacteo-lymphaticus eſt, totum utitur homunculi corpus per tot ora quot poros ſugendo: imò ſeriùs ociùs ſitiens & eſuriens illum bibit, deglutit & digerit. Id rationibus numeroſiſſimis devictum legimus à Barholino. *C. X. de lact. Thor.* Præterea ſanguis ipſemet fœtûs propriam intùs parit lympham, O lympha quàm mul-

ra, ab utero in placentam, ab involucris fœtûs in universam ipsius superficiem; ejusdem à visceribus in viscera diffunditur! Res etiam physicis confirmatur experimentis. Juniorum animalium carnes vel ossa in multum viscum coctione reducuntur, & partes quæ minùs sanguinis includunt, plus hujus gelatinæ relinquere solent. Sed nec Physicâ subtili, nec analysi Chemicâ hìc opus videtur. Satis quippe fuerit Gallinaceum ovum frangere, & solitarios inspicere succos à quibus rudimenta trahere pullus debeat. In putamine lymphaticum orbiculatim nidulatur albumen ex quo avis tenera fingatur. * Per plures menses juniorum animalium natura glutinosior durat, qualem in Pullo, Vitulo & Porcello lactescente inter epulas degustamus.

* Hoffman. C. de nutritione.

I V.

EX quibus constamus & generamur, ex iis etiam nutrimur: verba sunt Hoffmanni *ibidem C. de Nutr.* Absque lymphâ nutrice, neque formatio corporis, neque auctio, neque duratio fieri potest. Nutritio actus est quo perficitur corpus nec non reparatur. Hæc autem functio quæ longè omnium præstantissima est atque cæterarum conservatrix, ex ipsâ lymphâ pendet. Nullus huc usque indigitatus fuit liquor huic operi magis idoneus. Lympha enim succus fluidus est & gelatinosus & temperatus, tribus proinde conditionibus ad nutriendum requisitis dives. Cujus quidem ea est fluendi facultas, ut in exilissimos solidorum meatus se insinuet, per omnem omnium viscerum superficiem emulgeatur, exudet, fumet, ipsiusque halitus per eorumdem poros resorbeatur: ea galatina, ut solidorum partes molles flexilesve aut lubricas præstet, iisdem glutinis instar tenaciter adhærendo unâ compingatur, detrimenta compenset, ac dotes varias obfirmet: ea denique temperies, ut neque irritet, neque stimulet, nisi ad gratissimas titillationes & tacitas impressiones in singulis sensationum instrumentis juvandas vel præmovendas.

Cæterùm eorum quibus vescimur indolem redoleat corpus necesse est. Deus opptimus, maximus & benè providus singulare Animantibus alimentorum penus dedit, in quibus gelatinæ plurimæ stamina delitescunt: gummosa in his, in illis gummi-resinosa, in aliis mucilaginea, in multis diluti amyli instar; singula hæc in vegetantibus. Alia passim & copiosè occurrunt, ubi gelatina ipsa patet jam parata, edulia animalia intelligo. Hùc accedit quòd juxta sapientissimæ Naturæ consilium, homines & bestiæ ea quæ lympham instaurare possunt discernant & seligant, homines ratione, bestiæ verò instinctu, ambo gustatûs efficacitate.

Quas decantamus lymphæ vires, hæ non ad solida solùm pertinent, verùm etiam ad varios liquores; 1°. in mesenterii venis cum chylo societate coit, quâ ipsi animalem quamdam auram addat, impediatque quominùs idem in grumos abeat; 2°. in sanguinem semper redit non minùs eum renovatura quàm ab eo vicissim ipsamet renovanda. Sanguis enim propter lympham & lympha propter sanguinem agitur. 3°. Ut à sanguine secernitur, sic liquores perlucidos ab eâ derivari verisimile videtur. Cùm lympha pervenit ad prima sua organa, tubulos ejusdem in binos dividi ramos facilè concipimus; alter puriorem ditioremve transmittit lympham v. g. in superiore corporis parte succos nerveos, in inferiore semen; alter exportat reliquias, viscidiorem scilicet humorem qui tum muco sanguinis, tum lymphæ analogus est, quales sunt muci narium, oris & gutturis atque intestinorum; priores propè cerebrum, posteriores non longè à seminis organis. Fortè non hypotheticus liquorum diaphanorum genealogus videbor, sed rei minùs dubiæ affirmator, si isti ex similitudine spectentur. Illi enim valdè lymphaticos se ostendunt, tum perluciditate, tum affinitate quæ inter eos & virus quodcumque lymphaticum interest; & si quod remedium istorum morbos celeriùs sanaverit, id depromptum est è quâdam classe Medicamentorum Gallicè *Fondans*, ab Antiquis minùs cognitorum, sed â Recentioribus, inter quos *Junkerus conspect. Therap. gen. Tab. XIV.* ordinatè dispositorum à quibus lymphæ gluten peculiariter potest attenuari, resolvi, colliquari.

Fateamur oportet lymphaticos humores plerosque non lymphæ solùm, sed etiam muci sanguinis participes esse. Unde fit ut inter tractandas illorum affectiones, non rarò lympha culpetur, ubi culpandus sanguis, aut is accusetur, quando prava illa est, aut unum duntaxat suspectum videatur, ubi ambo peccant velut in scorbuto scrophuloso & in siphylide scorbuticâ, ac exitiosi committantur errores abutendo Antis-

corbuticis & hydrargyro. Cùm tanti ponderis ſint hæ notationes non poſſumus non ingemiſcere quòd vulgus quotidiè ſe tradat Mercurialibus præparationibus hominum ſine titulo noſtro & indoctè Medicinam facientium.

V.

ACCEDANT quotquot ſunt Pugnatores, eorum arma non timemus: animos excitat veritas; ſed hæc etiam impedit quominùs Certantium jus aſpernemur. Quin dico eos qui Theſi noſtræ inimiciores videbuntur, amiciores fore. Tu qui ſummis laudibus velut imperantem extuleris ſanguinem, & tu qui lympham dignitate ſuperiorem eſſe contenderis, manus date. Qui ſeorſim adverſarios eſſe creditis, profectò inter vos connexi atque conjuncti, nedum theſim de ſede ſuâ moveatis, vos illam ſtabilietis, & inter bina quæ ſinguli oſtentare potueritis momenta, quorum unum hinc, inde alterum paribus ponderibus libratum, in medio conſiſtet poſitionis noſtræ firmiſſimum robur. Fortè reprehendemur quòd in lymphâ exquiſitiùs laudandâ ferè toti fuerimus. Sed rubicundum laticem alii ſatis huc uſque prædicaverunt: pro animi magnitudine ut pro ſanitate ſolus ſanguis officioſis verbis ſalutatur. Quotquot enim ſunt nati inter Nobiles, Scutarios, Equites & alios generis illuſtrati, qui erga Regem fidelitate & obſequio, in Cives pietate & cæteris virtutibus pollent, laborando acerrimi, bello inſuperabiles, audaces in periculis, verbo ad præclara omnia facinora prompti & expediti, illorum tantæ nobilitatis laus ad nobilitatem ſanguinis avorum in nepotes transfuſi refertur. De lymphâ, à quâ dotes magnâ ex parte oriuntur, vix ulla fit mentio, niſi quando hæc de corpore malè meretur, ubi v. g. ignominioſas producit inflationes glandularum colli, maxillarum, mammarum, inguinum & alios morbos ſibi familiares, ſive è lugendâ ſcrophularum ſtirpe, ſive ex infortunato thalamo natos. Sanguinis culpâ ægri non æquè dedecorantur atque lymphæ turpitudinibus. Sed nihil inde adverſús theſim. Quantâ enim nobilitatis laude fruitur ſana lympha, tantâ obruitur ignominiâ, ut primùm à naturali caſtitate degeneravit. Pro corollario ſit ſequens fabula.

COCHLEA ET PULEX.

Cochlea patenti erat feneſtellæ domûs
Affixa ſine modeſtiâ: corpore ferè
Nudata toto: tegmen oſſeum gerens
Dorſo ſuper brevi; ſuorum & cornuum
Amabat explicare longitudinem.
Errando Pulex obvius ſiſtit pedem,
Et ait: trium, Androgyna, Charitum tu Chorus;
Detecta lepidè mihi cutis hæc tua placet:
Saltus meos noli timere, etenim bonó
Alacrique ſanguine propulſus, te ardeo.
Is ſine morâ ſponte ſalit in Cochleæ ſinum
Et pungit: hæc Pulicis horret aculeos;
Suam recondit ſe in domum, viſcum vomens;
Viſcoque prenſus heu miſer Pulex gemit!
Cochlea ſeverâ voce captivum arguit:
Tu ſanguinem, non lympham, ô ſtulte, noveras.

Hâc fabulâ ſignificatur coeuntem cum lymphâ nimis viſcidâ ſanguinem debilitari.

Ergo quantum ſanguinis, tantum lymphæ momentum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Florentius-Carolus Bellot, Profeſſor Regius.

M. Joannes-Claudius Munier, Conſiliarius Medicus Regis ordinarius & Domûs Regiæ Invalidorum:

M. Joannes-Baptiſta-Ludovicus Chomel, Academiæ Cenſor, Facultatis Exdecanus, Medicus Regis ordinarius, & Regii Medicorum Collegii Nanceiani Socius honorarius.

M. Ludovicus Pathiot.

M. Ludovicus-Renatus Marteau, Regiæ Societatis Lugdunenſis Socius.

M. Hyacinthus Theodorus Baron, antiquus Facultatis Decanus, necnon caſtrorum Regis & exercituum in Germaniâ & in Italiâ Proto-Medicus.

M. Franciſcus Bidault.

M. Joſephus Lallemant.

M. Ludovicus Maria Pouſſe, Eques & Cenſor Regius.

Proponebat Pariſiis NATALIS-NICOLAUS MALLET, Carnutæus, Doctor Medicus Remenſis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1757, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1757.